Res nostræ sunt eo loco prorsus, quo hactenus hic fuerunt.
Henricus Wigboldus ad fratris nuptias nuper huc venit, plusu,
los dies commoraturus. In schola doceo Grammaticam Clenardi.
Domi cœpi rursus proponere aliquot adolescentibus Locos Philippi.
Theodorus adhuc apud me est. Cujus pater D. Doctor Lambertus
hortari non desinit, ut me tandem ad Academiam, cum filiis su,
is transferam, non solum filiorum, sed etiam mea causa, est ut pos,
sim aliquando ex animi mei angustiis eluctari. Jam mihi per Præ,
mensis liberum est, qui ante triennium dimittere maluissent hospitem,
quam retinere. Sed ego tam nulli animi sum, ut vix extrahar, non
audeam pedem è caverna proferre. Cassander invitavit me
ad ripam Rheni, nisi pararem, fore ut brevi et uxorem hydrops
et me suffocet melancholia. Uxor certè jampridem inærâ
marito tumidum pedem pressat, et ego ex atra bili nuper
penè in delirationem incidi, ut nobis à Cassandri vaticinio
sit metuendum, nisi in Deo, qui vita restituit mortuos, spem fi,
xam haberemus. Et dum nostra prolem in Filio non admo,
dum videtur laborandum, quo loco putrescamus. Vale. Bre,
mæ Calend: julij 1558. Rescribe de tuis studiis aliquid si va,
cat. Saluta tuos commilitones. Iterum vale.

Johannes Molanus.

D. Doctori Lamberto ab Haen 158)

Pax Dei per Jesum Christum.

Honorande Domine D. quod me Galli expectatio frustrata
sit, non mediocriter doleo, hac enim spe duraveram hactenus,
quod illius adventus propediem bonam meris partem ademeret
fatigatæ. Quanquam præsagiit semper animus ægrè impetra,
tum iri, ut adolescentis ad unguem eruditus a nostra humilitatis
societatem sese dimitteret, præsertim cum hæc scholamullam [= Mscr. a. 7: Nr. 25]
apud vos habeat singularis doctrinæ commendationem. Cæ,
filium vestrum de Theodoro, non tam mea quàm ipsius causa
valde mihi probatum. Magni enim refert eum quem ecclesiæ
destinaveris, anno saltem uno et item altero Phil. Melanchth:
auditorem esse, tum autem quamvis aliquod hic operæ pretium
facere possit, tamen ea est ætate atque ita conformata puerili
doctrinâ ut ipse jam pridem eum instigaverim ad tale quiddam,
Vestræ Excellentiæ per epistolam proponendum gaudeoque peti,
tionem ejus non irritam apud patrem fuisse, illud tamen ex meo
animo addendum est, non posse Theodorum amandari nisi simul
et Ludolphus adjungatur, qui tum propter nocturnam ægrota,
tionem, tum propter omnium rerum incuriam ab illo suo
custode (quem jam non minus quàm Magistrum metuit) sine magno
suo incommodo nequit sejungi, ut ne addam quod sine tali pædagogo
qui eum assiduè observet et compescere cum opus est possit esse in

aliquo puerorum grege non potest. Quantum autem fide-
verim facereque, dum eum aliquo pacto in ordinem redigo et
custodiendo praestare obsequium coerceo (quum ego hoc insuper
mea fide facere debuerim) non decet hic commemorare. Sa-
certè longi temporis indefessâ patientiâ perfecique, ut apud
quoscunque vivat (modo hic ducem habeat) tranquillus esse pos-
sit, et alius pro suo modo (vel exiguam operam ponere in rebus
necessariis discendis. Florentius (quamvis imbecilli est cor-
pore) tamen in studiis non poenitendos progressus fecit, quod
quidem re ipsâ ostendi satius est, quam ore praedicari. Si
apud me relinquitur, post paucos annos cum pueri et inge-
nium eruditionem mora temporis roboraverit, volente Deo
tempestive ad Academiam ibit. Mearum rerum constitutio
sic impedita est, imò verò neque pusillus animus ita expers consi-
lii est in tanta omnium rerum perturbatione, ut de ni-
do deserendo sine legitima vocatione non audeam cogi-
tare, certe ante proximum ver, nisi me isti extrudant, nihil
movebo, interea quod praesens est, quanta possum sedulitate
conficiens, quid res tempusque postulet, quo me Domini volun-
tas inclinet, quid denique horum quos habeo puerorum usus mo-
neat, auscultabo. Filius Dei Redemptor noster, qui nos pecca-
tis immersos et in Sathanae regno quondam vagantes, per Evan-
gelium collegit in regnum suum, in iustitia et sanctitate
vera retineat sistatque animos nostros, ut in omnibus
consiliis et periculis nostris ipsius Spiritu agitati, facia-
musque nobis et aliis nostrae fidei commissis salutaria. Amen.
De pecunia non laboro, imò ante Michaelis nihil mitti postu-
lo, ac ne tum quidem nisi magna opportunitas inciderit. Pueri
aeternam salutem vobis mecum precantur, valuerunt
hoc toto anno quam bellissimè omnes et nunc eadem vale-
tudine sunt, praeterquam quod pes ille Florentii rursus no-
bis negotium exhibuit, a quo nunc beneficio Christi levati
sumus. Vale. Bremae Nonis julii 1558.

Johannes Molanus.

[59.]

M. Petro de Spina

Pax Dei per fidem in Jesum Christum.

[= Mscr. a. 7: Nr. 26]

Octavo Calend. julii scripsi quidem breviter, et (qui meus mos est)
inepte de rebus necessariis et omni sermone per omnem
hanc vitam opulenter usurpandis; eodem ut fallor, dictu
quoque prolixam et ardentem epistolam concinnasti.